

05 A 489

05  
A  
489



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-615079-p0002-8

DFG

3

EXERCITATIO METAPHYSICA  
**BONITATE,**  
publicè proposita  
PRÆSIDE  
M. JOHANNE **Weissen**  
ISENNACO-THURINGO,  
RESPONDENTE  
PETRO **Jägeri**/Hamburgensi.

*ad d. 13. Decembr. horis matutinis*  
In Auditorio minori.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS ROHNERI, Acad. Typogr.  
M DC LI.

Man. 20



Viro Pl. Reverendo & Clarissimo  
DN. M. JOHANNI Jägeri/  
Ecclesiæ Hamburgensis ad D. Jacobi Ar-  
chidiacono vigilantissimo, Parenti suo  
omni filiali cultu & obsequio æter-  
nūm devenerando



Exercitium hoc Academicum

pio & grato animo  
offert & consecrat

OS A 489

Petrus Jäger.

# M. I. A. I. T.

## Th. I.



Ulm omnes omnino homines **BONUM** appetant quam maximè, haud pœnitendum quid facturos nos existimavimus, si **BONITATEM ENTIS** Bono cum DEO in universali & abstractissimâ naturâ ejusdemq; formalem rationem accuratiùs non-nihil considerandam proponeremus, quam præeuntibus Præceptoribus nostris devenerandis ita definimus:

2. Bonitas est conformitas rei cum voluntate divinâ.
3. Ubi duo sese nobis explicanda offerunt, materiale & formale.

4. Materiale est essentia seu entitas rei, quam, uti & reliquæ affectiones transcendentales subjectivè, essentialiter & fundamentaliter implicat, & à quâ non nisi formaliter seu conceptibiliter differt.

5. Formale maximè est controversum: Nos salvis aliorum Eruditissimorū Virorum judiciis illis subscribimus, qui bonitatis formalem rationem in relatione convenientiæ rei ad voluntatem divinam constituere non dubitant, per quâ tanquam affectio respectiva à priori de Ente dicitur, ceterisq; affectionibus unitis cōtradistinguitur.

6. Quæ tam en relatio realis & prædicamentis esse haud debet, cùm essentiæ divinæ absolutè spectatae è diametro repugnet; nec nudæ rationis, cù quod Ens etiam citra operationē intellectus sit bonum; sed rationis ratiocinatæ & transcendentalis, quæ, ut ut relatio rationis sit, à ratione tamē simpliciter nō dependet, quia satis in reipsâ fundata est, adeoq; affectio ipsa ob istam rationis relationem Ens rationis dici nec potest nec debet.

7. Ipsa v. Res cuius convenientia dari debet, & de quâ h. l. nobis ex instituto sermo est, sit vera, realis & positiva sensu philosophico, quæ acceptio negationes, privationes & En-

A

tia

tia rationis prolsus excludit, quibus formaliter spectatis talis convenit bonitas, qualis entitas, hoc est, per proportionē quandam analogica seu plane equivoca.

8. Sicut v. denominatio rei extendenda adeò non est, ita nec restringenda nimis ad solas creaturas, sed de Ente indifferenter & ut sic spectato accipienda, quo pacto includit tūm creaturas, quibus reverà post lapsum etiamnum bonitas essentialis & intrinseca illarum naturæ seu essentiae debita deneganda non est, uti ex influxu & productivo & conservativo divino facilè colligere licet; tūm ipsum etiā Creatorem, qui ob originis & dependentiæ defectum, imò ob omnimodam bonitatis d. vina perfectionem in sacro codice SOLUS deprædicatur BONUS, ita quidem, ut sine ordine bonitatis accidentalis, per essentiam & ex virtute solius essentiæ sic & dicatur IPSA BONITAS.

9. Terminus convenientiæ, respectu cuius res quævis præcisè, abstractivè & in universali bona dicitur, est VOLUNTAS DIVINA: sicut i. n. in præcedenti exercitatione veritatem per ordinem ad intellectum divinum, ita nunc bonitatem per ordinem ad VOLUNTATEM divinam definiendam esse omnino statuimus, ut solum id, quod voluntati divina congruum est, sit atq; denominetur verè BONUM.

10. Notanter dicimus, VOLUNTAS DIVINA: Non n. bonitatis quā talis convenientiæ terminus, qui simpliciter debet esse infallibilis, quarendus est in voluntate vel Angelicā, vel Humanā, quippe quæ, cùm sit finita & creata, sibi reliqua errare interdum potest, adeò ut, licet non feratur in objectum, nisi sub ratione boni, malum tamen non raro existimet esse bonum, sicq; pro bono habeat, quod nihil minus est, quam bonum. Voluntas a. DIVINA ob infinitam in prosequendo & amando rectitudinem per absolutā etiā potentiam errare nescia est, quare ad hanc conformitas cuiusvis Bonitatis referatur necesse est, cum quā, si congruit, verè bona erit, cùm talis sit, qualem DEUS esse voluit. Quā de re rectissimè CL. Scheiblerus in Metaph. lib. I. c. 10. tit. 3. art. 3.

q. 64.

n. 64. pag. m. 260, adæquatè naturam Boni explicans, ait: *Esse nihil aliud ibi Bonum, quam Ens divinæ voluntati conforme.*

ii. Quæ tamen conformitas voluntatis divinæ cum re ipsâ ratione bonitatis ut sic & in universali spectatæ non intelligenda per modum principii alicujus normantis seu mensurantis: Repugnat n. Bonitati summæ & independenti, quæ non potest ad aliquid ut regulam & mensuram ordinari, quamvis non sit contra bonitatem participata in particulari consideratam, quæ dicitur bona ratione dependentiæ à voluntate Divinâ, à quâ fuit approbata; sed simpliciter per modum principii approbantis acquiescentis & prosequentis, ut conformitatis hujus terminus ultimus seu principium ultimum infallibile, juxta quod bonitas uniuscujusvis rei & potest & debet estimari, sit VOLUNTAS DIVINA rem in suo esse APPROBANS, in ead. ACQUIESCENS, eandemq; PROSEQUENS.

12. Denominatio v. hæc, consistens in relatione convenientiæ rei ad voluntatem divinam, exhibens affectiōnem Entis unitam & quidem respectivam, ob naturam veræ affectionis & pro rietatis intimè imbibitur in ipsâ naturâ entis, cuius fundamentum etiam non extra essentiam, sed in essentia entis includitur, ut ἀνακόλθον prorsus sit, tem quamlibet hac ratione non in se sed alteris also tem bonam esse dicendam; fundamentum n. hujus denominatiois intrinsecè est in re, cum includat ipsum ens & super eo fundetur. Nec hoc sequitur, Deum ante conditum mundum non fuisse IN SE bonum, siquidem omnino conveniens erat sua voluntati, quamvis vel maximè nulla creatura tum existeret. Modò igitur explicatò affectio hæc reverà competit subjecto quâ tali, covenit etiā semper & omni subjecto. Falsum ergo est, quando dicitur, hanc formalem rationem boni ut sic non esse intrinsecam: Falsum, inquam, hoc est: revera n. intrinseca est hæc denominatio, petita ab ipsâ entitate seu naturâ rei, quaconveniens est, h. e. à re ipsâ sive essentiâ ex se se convenienti. Vid. Excell. Viri Dn. D. Klotz Theol.

natur. disp. 9. pag. 468. seq. Dn. D. Calov. Metaph. Div. tr. post.  
cl. i. subl. 2. cap. 6. πορ. 3. pag. 347. Dn. Scheibl. Metaph. lib.  
i. cap. 10. tit. 2. art. 1. n. 33. pag. 251.

13. Dicimus a. signanter, hanc *intrinsecam* denominatio-  
nationem esse petitam ab ipsa entitate seu natura rei, *QUAE*  
*conveniens* est, adeoꝝ non à re, *Cui bonum conveniens* est, h.e.  
à voluntate Divinâ. Nam, quod hunc concernit terminum,  
non quidem dissitemur, illum non statim *realiter* include-  
re re ipsam, *QUAE* dicitur bona, sed eund. etiā posse esse *ex-*  
*tra* essentiam entis (scil. dependentis,) manente re *in se* &  
*intrinsecè* ratione fundamenti bonâ, cùm habeat conformi-  
tatem cum voluntate divinâ: Interim hoc affirmandum.  
omnino est, non necessum esse, ut itidem *terminus*, ratio-  
ne cuius res, quâ tatis, dicitur bona, *realiter* ab essentiâ, quæ  
dicitur bona, sit *diversus*, quod summa & independens bo-  
nitas sat firmiter refutat, quæ per substantiae identitatem pro-  
fusa conformis est *termino convenientiae*, h.e. voluntati divi-  
næ, ita ut bonitas essentiæ divinæ nil aliud notet, nisi ipsam  
met DEI essentiam cum connotatione ad voluntatem re-  
flexam, adeo ut essentia & voluntas divina sint *realiter* u-  
num & idem. Imò quamvis etiam voluntas, cui debet confor-  
mari res, prorsus nulla daretur, quæ *realiter* conveniret cum  
essentiâ, cuius tamen falsitas jam fuit demonstrata, atta-  
men est & manet obrationes jamjam allatas, *intrinseca* illa  
denominatio. Sed sufficient hæc de formalis ratione Bonita-  
tis essentialis: Restat nunc, ut breviter *de præcipuis boni-*  
*tatis distinctionibus* agamus.

14. Est a. bonitas vel *transcendentalis* vel *specialis*.

15. Bonitas *transcendentalis* est indeterminata & indifferen-  
tis Entis bonitas: Hujus natura haec tenus detecta est, & ab a-  
liis vocatur *bonitas generalis*, *Metaphysica*, *essentialis* seu *boni-*  
*tas per essentiam*. Ubi ambiguitas, quæ latet in τῷ *per essenti-*  
*am* paucis evolvenda est: *Per essentiā* enim non nunquā di-  
citur bonum, quod tale est vel *independenter*, à seipso & per  
seipsum, *immutabiliter* & *originaliter*, sic *DEUS* suprà *SOLIS*  
cele.

celebrabatur BONUS; vel *intrinsecè*, *essentialiter* & *constitutivè*, & sic omne Ens per essentiam dicitur bonum, quæ acceptio est hujus loci.

16. *Bonitas specialis* est certi ac determinati Entis *bonitas*. Dicitur aliàs *accidentalis*, dividiq; solet communiter in scholis Philosophorum in naturalem moralem & artificialem.

17. *Bonitas naturalis* est convenientia naturæ & virium ipsius cum suâ specie: Vocatur etiā *bonitas Physica*, ad quā in homine excellens ingenium, judicium politum, sanitas corporis & legitima membrorum conformatio referenda sunt.

18. *Bonitas moralis* est convenientia cum lege naturæ & re-latione: A nonnullis bonitas *Ethica* nuncupari solet, juxta quam omnis actio virtuosa ut justitiæ, fortitudinis, temperantiæ dicitur bona.

19. *Bonitas artificialis* est convenientia operis producti cum regulâ artis: Sic bona est pictura, quæ congruit cum legibus arti pictoriæ.

20. Porrò bonitas alia est vera, alia apparens.

21. *Bonitas vera* est, cui inest verè talis convenientia, qualis ei inesse existimatur: Sic omnis virtus, temperantia, liberalitas, veritas, diligentia in studiis vetè sunt bona.

22. *Bonitas apparens* est, cui non inest verè talis convenientia, qualis ei inesse existimatur: Sic omne vitium, intemperantia, prodigalitas, mendacium, negligentia in studiis judicio depravato videntur bona, cùm tamen reverè mala sint ac noxia. Reliquas, si quæ dantur, boni distinctiones, brevitatis studio omittimus.

23. De *Opposita bonitatis* ut aliquid adderemus, reliquū esset: Verūm cùm nec *Malitia* entis, quæ Bonitati transcendentali sit opposita, detur, nisi contradictoriè illi *non-bonitas* opponatur; neq; ejus tractatio per se pertineat ad Metaphysicam; neque natura mali satis sit obvia, adeò ut quid illud sit in suo formali, à multis dubitetur, à multis etiā planè ignoretur, fatente magno Theologo-Philosopho Iac. Mart. b. m.

Exerc.

Exerc. Met. lib. 17, exerc. 17. theor. 6, pag. 469. Part. Met. libr. 1. sect. 6. q. 1. æst. 6. pag. 275. seqq. hinc mallemus τὸ ἐπέχειν eligere, quām loquendo periculo erroris nos objicere. Ne v. prorsus in perscrutanda rerū etiā maximē difficultum naturā negligentes videamur paucissima, vestigia Dn. Praeceptorum nostrorum devotē venerandorum secuti, adducemus. Manifestum a. est, malum hactenus duplicitatione ab Ereditatis fuisse consideratum, concretivē & abstractivē.

24. Concretivē (dicunt) est res carens bonitate debitā: Et sic duo includit, materiale & formale.

25. Materiale est res, seu subjectum, vel actio seu motus, cui inest malitia.

26. Formale est bonitatis debitæ privatio, h.e. malitia, à quā v.g. homo dicitur malus, seu à quā actio dicitur vitiosa. In quantum igitur malitia conirescit cum re, cui accidit, quorum utrumq; in vitioso actu concurrit, in tantum reverā malo convenit aliqua positiva entitas strictè dicta, non tamen ratione malitiæ & pravitatis, sed ratione rei seu subjecti, actus & motus, cui malitia inest.

27. Abstractivē (ajunt) est privatio bonitatis debitæ inesse.

28. Abstractiva hæc consideratio præcisè sistit formalem rationem malitiæ, h.e. in proprio conceptu non unā exhibetur ipsam, cui adhæret, sed tantū vitiositatem & malitiam inherenterem notat: Et hanc dicunt esse privationem, non negationem puram: sic n. esset planè nihilum, nec ab eâ ulla res de nominari posset mala, cum tamen esse per propositionis veritatem illi reverā competit; non positionem, qua illa opponitur propriè privationi, & prout eand. accipiunt Philosophi; Sic n. aut daretur Ens positivum, quod esset malum, quæ assertio destruit sententiam Philosophorum uno ore assertum, omne Ens esse bonum; aut privatio hæc vi suæpositioni, quam includat, dicenda esset bona, quod absurdum & contradictionium, siquidem non intellectam volumus ejusmodi privationem, quæ in subjecto nihil mutat, & est à causa efficiente, sed quæ conjunctam habet subjecti corruptionem, & est à causa deficiente & destruente, quæ omnino mala est: Secùla ergò restat privatio, malitia n. nil nisi remotionem conformata.

mitatis, convenientiae & congruitatis debitae inesse connotat, quā  
excipit bonitatis difformitas, disconvenientia & incongruitas  
non debite inesse.

29. Et hoc est, quod de formali ratione jam pridem  
tradiderunt Viri Accuratissimi B. Jac. Mart. tr. de caus. pecc.  
disp. 2. §. 31, pag 80. Peccata quatenus talia, hoc est, formaliter,  
non sunt res sive entia, sed privationes. it. confer. ejusd.  
Part. Met. pag. 275. seqq. Dn. D. Scharf. Th. Transc. disp 8. th.

43 Sic ergo formaliter malum quādo sumitur, dicendum est, quod  
formalis ratio mali est ipsa malitia, quae consistit in privatione Boni  
ni: unde & malum formaliter definitur, quod sit privatio perfe-  
ctionis debitae inesse. Dicitur privatio perfectionis: Nequaquam  
n est Ens aut positiva perfectio. Alias si ens esset, utiq̄ esset appre-  
tibile. At v. potius de ratione mali est, ut avertat appetitum. Un-  
de hoc? Sanè exinde, quia removet entitatem, perfectionemq;  
positivam tollit. Dn. D. Calovius Met. Div. cap. 6. th. 7. pag.  
352. Malum formaliter & intrinsecè non est, nisi privatio boni:  
Ideò August. l. 11 de Civ. Dei c. 9. Mala natura nulla est, sed amis-  
sio boni nomen mali accepit. Et præter Excellentissimos hosce  
Viros Præceptores de nobis meritissimos hac de re confer-  
ri poterunt Suarez. Met. disp. 11. pag. 225. seqq. Jeb. de Ra-  
da contr. Theol. part. 2. contr. 16. pag. 447 seqq. B Graw.  
præl. Acad. in Aug. Conf. art. 2. pag 46. seqq. it. illustr. quæst.  
disp. 9. quæst. 2. p. 340. seqq. Dn. Scheibl. Metaph. l. 1. cap. 10. tit.  
3. art. 2. pag. 258. seqq.

30. Quæ v. dum ita proponimus, alienam à nobis esse,  
volumus suspicionem, quasi conaremur puram aliquam pri-  
vationem ex mente Scholasticorum quorundam introduce-  
re: Dicta n. vel mediocriter si inspiciantur, satis nos defen-  
dere videntur, hanc sc. privationem conjunctam habere sub-  
iecti corruptionem, it. hanc privationem excipere bonitatis dif-  
fermitatem, disconvenientiam & incongruitatem, quæ nō con-  
veniunt puræ privationi; Purā n. privatio illa est, quæ tan-  
tum in privatione bonitatis naturæ integræ superadditæ, & nō  
unā in vitio aliquo naturæ consistit, cuius (bonitatis) amis-  
sione seu privatione ipsa natura nil minus perfecta ac integræ  
remaneat. Hanc, (dicimus,) non intelligimus, sed istam

B

priv.



privationē, quæ non consistit tantū in ablatione seu privatione bonitatis naturæ integræ superadditæ, ut remotâ illi nihilominus natura integra permaneat, sed quæ unā cū bonitate naturæ integratē tollit, & naturæ corruptionē seu vitium naturæ secum trahit. Hoc sensu, si quis cum Thomâ asserrat, peccatum habere aliquid positivum, adeò quidem non abnuimus, modò acceptio abusiva & impropria non confundatur cum propriâ, de quâ Metaphysici, quam in formalitate malitiæ deprehendere nobis hactenus nondū licuit, rectius a. edocti, ab hac mente quo minus recedamus, personas sanè nihil obstat. Sed ad Porismata.

## I. PORISMA.

*Omne Ens est bonum.*

Vocabulum *Entis* sumitur vel in modo prædicandi pro veritate propositionis, uti docet Excell. noster Scharf. Præceptor observandus Met. exempl. l. i. c. i. pag. ii. vel in modo *Essendi* pro ipsâ essentiâ verâ, reali & positiva. Priori significacione non omne Ens est Bonum, e.g. privationes, negationes & entia rationis, sunt tamen in bono. Posteriori v. acceptione omne Ens est bonum, si non bonitate naturali, morali & artificiali, tamen essentiali; & hac, si non independenti tamen intrinsecâ.

## II. PORISMA.

*Quod non est bonum, illud ne est quidem.*

Quod non est bonum scil. & quoad formale, & quoad materiale ita ut nec sit IN BONO ESSENTIALI, illud profus non est; quod a. ad minimum est quoad materiale, ita ut sit IN BONO, illud ne est quidem positivè ut aliquid in re ponat, potest tamen esse privativè, quâ verè aliquid inesse debitum removet.

## III. PO-

### III. PORISMA.

*Omne bonum est appetibile.*

Bonitas est causa & fundamentum appetibilitatis: Ideo n. aliquid appeti aptum est, quia bonum est: Hinc Aristot. i. Ethic. ad Nic. c i. bonitatem à posteriori per appetibilitatem declarat, cum hæc ad minimum actu primo sequatur illam.

### IV. PORISMA.

*Omne bonum est communicativum sui.*

Verum estratione Communicantis, in quantum vel ex naturæ necessitate vel ex liberrimâ voluntate potest ; ratione subiecti, in quantum illud aptum est in se recipere ; ratione v. ipsius boni, in quantum licitum & conveniens est.

Tibi Deus fons Bonitatis gloria!

**N**on malè de Bonitate doces. imò Paradoxa :  
quæ bona sunt, mala sunt ; quæ mala sunt, bona sunt.

Quin Tibi & omne bonum est. Dicit sapientia prima :

Nullum, noster ager novit alitq; malum.

Ojuxtà, ô potius, dicat sapientia morum :

Nullum, noster ager novit alitq; malum !

At frustrà. Ergò tamen Vobis Par, non malè dispar,

Eveniat nullum, pro Bonitate, malum ;

Affit Naturæ, ut morum, Bona, tūm quoq; fortis ;

Omnia transcendens affit utriq; Bonum.

Et Fatum Tibi Respondens respondeat ; & TE

Cœlum præsidio, Praeses Amice, beet.

M. Joh. Hannkenius, Sil.

**N**umne tuis desim gratanti pectore Musis ?

Num plausu studium non celebrem merito ?

Es

Es Sophiæ doctus miles, Jägere polite,  
Pro Sophiâ ridet sumere tela Tibi  
His animo præsens, moneo, Concivis amande  
& pugnam pugnes pro Bonitate bonam.

fausti omnis ergo  
f.

M. Johannes Hesterberg.

Es kommt dem Pöbel zu von nichts deun stille wissen ;  
Nichts/oder anders thun/und so die zeit verschliessen :  
Ein fluger dencket nein. Er kommt früh auff den plan  
und zielet auff ein werck/das ruhm erwerben kan/  
Dem nechsten nuzen schafft. man muß gebohren werden  
Stum ; jedoch darff man nicht stum gehen von der erden/  
die seelzert wissenschaft/beredtsamkeit denn auch :  
nach Plato sonderlich und andrer weisen brauch  
den beydes alles war. Was nuhet Bücher lesen  
viel hören/ viel verstehn / ein Kopff voll weises wesen  
damit die Schule prangt?dem leben/nicht der Schul.  
Studieren steht auf thun/nicht bloß im Federspul ;  
in dingern die gelehrt und gleichfalls besser machen/  
du Freund / bist lobens werth mit diesen deinen sachen/  
der dinge güt auf jetzt die ist dein ziel/ dein ring ;  
Nun was du diffalls thust das ist ein gutes ding!

Friederich von Koszpothy/  
Eq.Var.



05 A 489



56

b777






## Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black



ETAPHYSICA  
STATE,  
posita  
E  
E Weissen  
HURINGO,  
ENTE  
lamburgensi.  
*ris matutinis*  
minor.

R GÆ,  
ERI, Acad. Typogr.  
L.

Mark 20